



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 292. Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam ibi me videbunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

186 RESURRECTIO DOMINI N. SECUNDUM MATTHÆUM
ut possim à te quandoque recipi, salutari & confortari.

§. 290. *Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius & adoraverunt.*

Piæ illæ mulieres ex loquela Iesum agnoscentes in via ò quanto gaudio perfulsæ fuerunt, quod meruerunt eum iam saluum & incolumem, vivum & gloriosum videre resurrexisse, de cuius morte & passione ante triduum ita doluerant, & compassi fuerant, quid igitur mirum si accurrerint præ gaudio. & provolverint se ad pedes eius, & adorarint, & tenuerint eum ex amoris excessu, suaves lacrimæ eruperint, quia quem quærebant invenerunt, quem dilexerunt, tenuerunt, quem honorare cupiebant, adorabant, ab ipso separari nullo modo volentes. O amor!

Quis mihi det bone Iesu ut te semel perfecte quæram, inveniam, adorem, videam, teneam totus profusus in te & amore tui liquefacta anima exultet magnificando te, nil sapiat nisi te, nil cogitet nisi te, nihilo fruatur nisi te, tunc satiaberis anima mea in Deo tuo.

§. 291. *Tunc ait illis Iesus: nolite timere.*

Piæ hæ mulieres primo ex natura erant & timidæ. 2. ex horrore concepto inter eundem ad Christi sepulchrum ob nocturnos metus hominum connaturales. 3. ob Angeli visionem & splendorem. Ideoque ait illis Iesus nolite timere, quasi diceret, deponite omnem istam sollicitudinem nemo vobis obviabit alius quam ego, ego vobiscum sum, nemo vos impedit à concepto proposito, ite in pace & annuntiate fratribus quæ vidistis & audistis de meâ resurrectione.

Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde, patet hic in te querentibus & laudem tuam annuntiare volentibus, cum timore tamen & tremore ne forte impediatur: Præsto es eis, & adhortaris ne timeant, quare mi Iesu non timebunt vigilas noctis, vel & milites, vel & Iudæos fors ipsis obviantes, & remoram iniicere volentes? non, quia ego protector omnium in me sperantium, ego via ipsorum & comes, & quis contra me pugnabit dominatorem cæli & terræ?

Ergo ne ego quoniam in te Domine speravi non timebo? vel peccatum, mundum, carnem vel diabolum: non, nisi ultro accesseris ad ea & iuseris cum eis, quia quis confusus est & speravit in me? & fecit & docuit legem meam: Quia ita est, ò Domine Iesu, Ecce paratum cor meum ad tibi servendum, jube quod vis & da quod jubes.

§. 292. *Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galileam ibi me videbunt.*

Accipiamus ista quasi diceret, Ite, ò fideles mulieres, recuperate honorem

norem sexui vestro quem peccando primò amisit feminis Eva, & primo omnium nuntiate resurrectionem meam & vitam & pacem factam inter Deum & hominem, meis fratribus, uti Eva viro suo annuntiavit mortem & ruinam. Sed & Dominus unâ explicat clarius verba præcepti Angelici: Angelus enim dixerat, tunc & dicerent Discipulis, Christus autem exponens ait Fratribus: non enim omnes discipuli Domini etiam continuo Fratres eius erant, sed illa pars quæ sanguine illi cognata erat, & quidem privati homines non pauci.

Domine video quod etiam mittas sexum muliebrem ad annuntian- dum resurrectionem tuam & gloriam, non autem ad prædicationem pu- blicam in Ecclesiis quam solum reservasti tuis sanctis clericis, subdiaconibus, diaconibus, presbyteris & Episcopis. Ita est, quia ab omnibus laudari volo, creaturis, & sexu, & veritatem dei, non autem prædicari & doceri publice, quibus per doctrinam & sapientiam & potestatem à me datam convenit, scilicet Clericis meis ad hoc munus assumptis & vocatis tanquam Moyles & Aaron.

Domine Ecce clericus tuus Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos, indignus erubescit ante te, quia officium meum saepe non facio, non enim te prædico tam exactè, ut tuam decet Majestatem & aliis modis multis delin- quo. Quid faciam? Domine da gratiam ut si non detur te prædicare in Ca- thedra & docere, prædicem te spiritu & mente, & doceam verbo & exem- plo sancto, quo homines ædificentur.

§. 293. *Qua cum abiissent, Ecce quidam de custodibus venerunt in Civitatem & nuntiaverunt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.*

Vere magnus Dominus & laudabilis nimis super providentia, & iu- stitia sua, & veritate in æternum, ut nemo dubitare posset de veritate resur- rectionis suæ, Ecce ipsi inimici custodes sepulchri & vigiles fiunt nuntii ad Principes Sacerdotum & divulgant Civitati veritatem resurrectionis Iesu Christi, etiam inviti, invitatis Principibus, & ut omnia perfectè viderent, & annuntiare potuerint manserunt apud sepulchrum, donec mulieres abiis- sent, & omnia circa resurrectione peracta exactè essent cognita, tunc reli- cto sepulchro venerunt in Civitatem Hierusalem cum timore & stupore, pleni testimonio veritatis annuntiantes, cum omnibus circumstantiis Christi crucifixi resurrectione & gloriam: & quomodo vidissent gloriam eius mane resurgentis cum terræ motu necdum amoto lapide, integris sigil- lis: Tum post eius resurrectionem, adventantem Angelum & lapidem cum sillis amoventem, & quomodo advenientes mulieres allocutus esset an- gelus